



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Disputatæ Dicuntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

14 Vtrum vti præciosis vestibus semper sit peccatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

SED CONTRA est glo. Aug. iaco. 13. super illud, Si introierit &c. In quodammodo confessionibus qui praefert quidem pauperi, non in hoc peccat, nisi intrus ita iudicet, ut quanto ditor, tanto melior videatur: sed non semper aliquis huiusmodi exterioribus honoribus diuitem honorans, eum propter hoc iudicat meliorem, ergo non semper peccat.

RESPON. Dicendum, quod accipere personam differt contra accipere causam. Accipere enim causam est iudicium formare ex aliquo quod facit ad causam, quod laudabile est. Accipere vero personam est formare iudicium ex aliqua conditione personae, quae non facit ad causam, quod vitium est. Unde contingit quod ex eadem conditione personae considerata, quandoque fit iudicium iustum, quandoque est acceptio personarum: sicut si in aliqua controversia detur sententia pro aliquo, quia est literator, erit acceptio personarum. Si autem ex hac consideratione in licentiando ad magistrum alius perferatur, non erit acceptio personarum. Si ergo aliquis honor diuiti exhibeatur propter causas, ad quas diuitiae aliquid faciunt, non erit acceptio personarum, erit autem si ad hoc nihil diuitiae operentur. Est autem duplex honor. Vnus qui debetur alicui ratione sui ipsius propter ipsam virtutem, sicut est commendatio, inuitatio, & huiusmodi, & ad hunc honorem diuitiae nihil faciunt: unde si talis honor alicui propter diuitias exhibeatur, erit acceptio personarum, unde dicit Valerius Maximus, quod honores qui virtuti debentur, sicut triumphus, & alia huiusmodi, apud Romanos antiquos nulla pecunia emi poterant. Alius honor alicui debetur secundum statum quem habet in republica, sic enim in persona republica honoratur, & propter hoc reges, & principes, & huiusmodi personae honorantur secundum illud 1. Pet. 4. Regem honorificate. Et quia in terrena republica diuites statum obtinent altiores, ideo ciues celestis Hierusalem quasi in Babylonia peregrinantes, debent eis inter quos conuersantur, morem gerere, ut Aug. dicit in lib. de ciuit. Dei, in his quae non sunt contra Deum, & sic etiam diuites honorare illis dumtaxat honoribus qui ad exteriorem conuiuium pertinent, licitum est.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod in his quae ad fidem Christi pertinent, peccatum esset diuites pauperibus praeferre, sicut sunt ministraciones sacramentorum, & alia huiusmodi: sed in his quae mundi conuiuium requirit, oportet mundo gerere morem.

AD SECVNDVM dicendum, quod etiam diuitiae in quantum sunt quoddam bonum, sunt aliquid diuinum, praecipue in quantum praebent facultatem ad multa bene agenda.

AD TERTIVM dicendum, quod ratio illa procedit de honore qui exhibetur alicui ratione sui ipsius.

ARTICVLVS XIII.

Virum aliquis peccet infamiam non repellendo.

CIRCA secundum sic proceditur. Videtur quod aliquis peccet infamiam non repellendo. Cru delis enim esse dicitur qui famam suam negligit: sed crudelitas peccatum est. ergo peccatum est infamiam non resistere.

¶ 2. Præ. Eccles. 17. dicitur. Vnicuique mandauit Deus de proximo suo, ut scilicet ei proferat exemplo, & verbo: sed hoc impeditur per infamiam, ergo qui libet tenetur repellere infamiam.

SED CONTRA est, quod contemnere infamiam videtur esse actus humilitatis. Vade in vitis patrum

legitur de multis sanctis patribus, qui proprias infamias sustinebant eas non repellentes. ergo non est peccatum.

RESPON. Dicendum, quod utrumque scilicet & contemptus famae, & appetitus potest esse laudabile & virtuosum. Fama enim non est necessaria homini propter seipsum, sed propter proximum edificandum. Appetere ergo famam propter proximum, charitatis est: appetere vero propter seipsum, ad inanem gloriam pertinet. E conuerso contemptus famae ratione sui ipsius humilitatis est, ratione vero proximi ignauia & crudelitas. Illi ergo quibus incumbit ex officio, vel ex statu perfectionis aliorum saluti providere, peccat nisi infamiam propriam iuxta posse repellat. Alij vero quibus magis custodia suae propriae salutis imminet, possunt suae humilitatis prouidentes famam, vel infamiam contemnere. Sed cum infamia dupliciter repellatur, scilicet occasione subtrahendo, & lingua detrahentium compescendo, primo modo omnes tenentur infamiam vitare, alias sine scadalo actiuo transiri non posset, quod semper peccatum est: sed secundo modo non tenentur, nisi quatenus debet aliquis saluti proximorum providere: & hoc est quod Gre. dicit 9. Home. super Ezech. Lingua detrahentium, sicut nostro studio non debemus excitare, ut ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatione debemus equanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat: aliquando etiam compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui nos ad bona audire poterant, corda innocentium corrumpant. & infra. Hi etenim quorum uita in exemplum imitationis est posita, debent si possunt detrahentium sibi verba compescere, ne eorum praedicationem non audiant qui audire poterant, & in prauis moribus remanentes bene viuere contemnant.

¶ Ex his patet solutio ad obiecta.

ARTICVLVS XIII.

Verum uti pretiosis uestibus semper sit peccatum.

AD TERTIVM sic proceditur. Videtur quod uti pretiosis uestibus semper sit peccatum. Omne enim quod fit propter uanam gloriam peccatum est: sed pretiosa uestimenta non portantur, nisi ad inanem gloriam. Unde Gre. in Hom. de diuite epulone. Nemo quippe uestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quaerit, uidelicet ut honorabilior ceteris esse videatur. Nam quae pro sola inani gloria pretiosum uestimentum quaerit, ipsa res testatur, quod nemo uult ibi pretiosis uestibus indui, ubi ab alijs non possit uideri. ergo usus pretiosarum uestium semper est peccatum.

¶ 2. Præ. 1. Tim. 6. Habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus. **¶ Quod** amplius est, a malo est: sed pretiositas uestium est amplius, ergo est peccatum.

SED CONTRA est, quod Seneca dicit ad quaedam reginam. Induere delicate non propter te, sed ne dignitas regia uilescat.

¶ 2. Præ. 1. ad Tim. 2. Non in tortis erinibus, uel auro, aut margaritis, uel ueste pretiosa gloria ultra modum suum. Et ita si aliquis pretiosis uestibus secundum modum suum utatur, non peccat.

RESPON. Dicendum, quod est hic loquendum de persona publica, & de persona priuata. Nam in persona publica consideratur & status dignitatis, & propriae personae conditio, circa quae duo ita se debet habere, ne dignitatis autoritas ueniat in contemptum, & ne ipse in superbia efferatur. Vtrumque, ergo potest esse laudabile, & quod pretiosis utatur ad reuerentiam autoritatis inducedam, & quod uilibus utatur ratione

Ar. 1. q. 1. c. 2. 22.

22. q. 129. 217. 1. ad 50. 28. q. 131. ar. 1. 00.

22. q. 167.

tione propriae humilitatis, ita duntaxat ne quae ad
authoritatem conservandam fiant, in superbiam
degenerent, & ne dum nimium servatur humilitas,
regentis frangatur auctoritas, sicut Atgu. dicit. Et
hac ratione laudabiliter sacerdos in divino officio
pretiosus utitur indumentis ad reverentiam divini
cultus, & laudabiliter ad huiusmodi propter humi-
litem in quibusdam religionibus abstinetur. In eo
autem qui est privata persona, virtuosum est si pro-
pter humilitatem abiectionibus indumentis utatur,
etiam quam status proprius requirat. Vnde Gre. di-
cit in Home. praedicta. Si abiectione pretiosum indumentum
virtus non esset, evangelista de Ioanne vigilanter
non diceret. Erat indutus pilis camelorum. Licet
est autem ut secundum modum propriae personae pre-
tiosus utatur, sed peccatum est si proprium modum
excedat. Et quia pretiosum dicitur relative sicut &
magnum, cum id quod est pretiosum vni, non sit al-
teri pretiosum, pretiositas vestium semper sonat in
excessum proprii modi, & semper hoc peccatum
pretiosis vestibus uti, & sic loquitur Gregorius.

Vnde patet solutio ad primum.
AD SECVNDVM dicendum, quod in alime-
to & tegumento intelliguntur omnia quae nobis
sunt necessaria, & convenientia nostri status.

QV AESTIO VII.

DEINDE queritur de culpa quae contrariatur
rectae fidei.

- ¶ Et circa hoc queruntur duo.
- ¶ Primo, Vtrum haereticis sit communicandum.
- ¶ Secundo, Vtrum redeuntes ad Ecclesiam sint reci-
piendi.

ARTICVLVS XV.

Vtrum haereticis sit communicandum.

AD PRIMUM sic proceditur. Videtur quod hare-
tici sit communicandum. Dicitur enim Mar.
13. in parabola de zizania, quod paterfamilias dixit mes-
soribus. Sinite utraque crescere usque ad messem;
messis autem est consummatio saeculi, ut ibidem di-
citur. cum ergo per zizania intelligantur haeretici,
videtur quod haeretici non sint a communione fide-
lium separandi ante diem iudicii.

¶ 2. Praet. Videntur contra hoc Domini praecipitum
facere principes haereticos interficientes.

SED CONTRA est, quod dicitur 2. ad Cor. 6. Exite
de medio eorum, & separamini; & loquitur de infi-
delibus, quod patet ex hoc quod praemisserat. Noli-
te ducere iugum cum infidelibus, ergo haereticis
non est communicandum.

RESPON. Dicendum, quod haereticis communican-
dum non est duplici ratione. Vna est ratione excommu-
nicationis. Nam cum sint excommunicati, non est
eis communicandum, sicut nec cum alijs excommunica-
tis. Alia ratio est haereticis. Primo propter periculum,
ne eorum conversatio alios corrumpat, sicut illud
1. ad Cor. 15. Corrupti bonos mores colloquia
prava. Secundo etiam ne videamur eorum peruer-
sa doctrinae aliquem assensum prestare. Vnde in 2.
canonica lo. dicitur. Si quis veniat ad vos, & hanc
doctrinam non affert, nolite eum in domum ducere, nec
Aue ei dixeritis; qui enim dicit ei Ave, communicat
operibus eius malignis. Vbi dicit glo. Secundum quod
vox est instituta, communicatio esse ostendit cum illo,
alioquin simulatio est, quod in Christianis esse non debet.
Tertio, ne ex nostra familiaritate alijs derur occa-

23. q. 1. art.
3. 0.

23. q. 10. ar.
9. 0. & 4. dif.
13. q. 2. ar. 7.
e. & dif. 18.
q. 2. ar. 1. q.
1. 0.

si erroris. Vnde ibidem dicitur alia glo. Et si vos forte
decepti non estis, alij forsitan per talem vestram fa-
miliaritatem possent decipi, qui crederent illos pla-
cere vobis; & sic crederent illis. Vnde alia gl. ibidem
dicit. Tanta Apostoli, atque eorum discipuli in re-
ligione cautela utebantur, ut nec verbi quidem com-
munionem cum aliquo eorum; qui a veritate declina-
verant, habere paterentur. Hoc tamen intelligen-
dum est, nisi cum aliquo loqueremur de eius salute.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod in illo praecipitum pa-
trifamilias duplex conditio intelligitur. Vna est, ut
exponatur praecipitum de vniuersali separatione ma-
lorum a bonis, & hoc accipitur ex ipsa ratione mes-
sorum qui dicunt. Visimus, & colligimus ea? hoc
non erit usque ad diem iudicii. Secunda conditio est,
ut intelligatur praecipitum, quod mali sine periculo bo-
norum extirpari non possunt. Et hoc patet ex ratione
patrifamilias, qui dixit. Ne forte colligentes zizania,
eradicetis simul cum eis & triticum. Quod quidem tribus
modis contingere possit. Vno modo, si aliquis pra-
seinderetur antequam de eius malitia constaret; vnde
dicit glo. quod monet Dominus, ne ambigue iudicemus. Se-
cundo, si non esset in malitia obstinatus; vnde nullus
excoicatur nisi propter contumaciam; vnde dicit
glo. ibidem. Monemus non cito amputare, quia qui
hodie errat forte cras defendet veritatem. Et Timor,
vnde dicitur. Haereticum hominem post primam & se-
cundam correctionem decita. Tertio, si simul boni cum
malis involuantur, propter quod dicit ibi glo. Aug. quod
multitudo non est excommunicanda; nec principes
populi. Illis autem remotis debent mali praecidi, se-
cundum illud 1. Cor. 6. Auferte malum ex vobis.

Et per hoc patet solutio ad secundum.

ARTICVLVS XVI.

Vtrum haereticis redeuntibus ad Ecclesiam sint recipiendi.

AD SECVNDVM sic proceditur. Videtur quod haereticis re-
deuntes ad Ecclesiam non sint recipiendi, quia
peccauerunt contra fidem, quae est Ecclesiae funda-
mentum; & ideo in edificatione Ecclesiae non debent
saperi ad fidem; ergo non debent ab Ecclesia recipi.

SED CONTRA est, quod Ecclesia nulli debet claudere
gremium, sicut Christus qui de se dicit. Eum qui
venit ad me, non eieciam foras. Ioan. 6.

RESPON. Dicendum, quod quoad huiusmodi status du-
rat homo non potest esse totaliter in peccato obstina-
tus; hoc non erit in damnatione post mortem. Et ideo quoad
in hac vita vivitur, cuiuslibet relinquitur locus poenit-
entiae, & quilibet quantum estque deliquerit, vel in fide,
vel in moribus, est ab Ecclesia recipiendus ad poeni-
tentiam, & contrarium dicere est haereticis Nouatiano-
rum; sed tamen non est necessarium, quod semper ad dignita-
tem recipiantur, nisi cum aliquibus misericorditer
dispensaretur, praecipue propter bonum pacis, vel
propter fructum alium qui inde speretur.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quamdiu funda-
mentum fidei non habet, ab Ecclesia recipi non debet, sed
postquam conuersus incipit habere, recipiendus est.

QV AESTIO VIII.

ARTICVLVS XVII.

Vtrum aliquis intellectus creatus possit videre
Deum per essentiam.

DEINDE queritur de hoc quod pertinet ad glo-
riam, scilicet visionem Dei in patria, scilicet vtrum aliquis
intellectus creatus possit videre Deum per essentiam,
& vtrum non. Intellectus ad intelligibile est aliqua
proportio; sed intellectus creati ad divinam essentiam
nulla